



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 69. Bona Ecclesiastica in Galliis alienata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. rii Reformati interpretabantur, perinde
A.C. 1576. acsi ceteri quoque Præfules eis conveniendi libertatem pariter adempturi essent, nec exiguum eorum ingenio suspicionibus assueto scrupulum injecit Petri Gondii Episcopi Parisiensis ad Pontificem legatio; eidem enim injungebatur, ut quinquaginta aureorum millia annui reditus ex Cleri Gallicani bonis alienandi facultatem Regis nomine impetraret: hinc existimabant Protestantes, quod Rex in sumptus belli contra ipsos gerendi pecuniam inde corradere velit: his de causis admoniti sunt, ut propius ad res suas respicerent, & Navarræ Rex inprimis, qui Niortii Calvinii doctrinam nuper publice professus fuerat, postea autem cum Catharinam Sororem suam, quæ eum Pictavii convenerat, excepisset, Rupellas contendit, ubi tamen civibus diu contradicentibus tandem nonnisi pactis quibusdam conditionibus, quæ ipsius potestatem valde restringebant, exceptus, & die vigesima octava Junii urbem ingressus est.

§. LXIX.

Bona Ecclesiastica in Galliis alienata.

*Spond. ad
 hunc ann.
 num. 5.*

Ceterum iter illud, quod Parisiensis Episcopus Romam versus suscepserat, præter expectationem feliciori secun-

secundabatur successu; quippe idem Sæcul. XVI.
A. C. 1576
Præful die decima octava Julii a Gregorio XIII. Papa diploma obtinuit, vi
cujus pecunia, quam Rex petiit, ex
Clericorum proventibus exigi posset:
porro hoc diploma mittebatur ad Car-
dinales Carolum Borbonium, Ludovi-
cum Guisium, & Ludovicum Estensem
tunc in Gallia agentem, necnon ad An-
tonium - Mariam Episcopum S. Papuli
Nuntium Apostolicum, Petrum Gon-
dium Episcopum Parisiensem, Floren-
tinum Renardum Carnotensem, &
Bonum Broé sanctæ Capellæ regalis
Canonicos: igitur hoc diploma promul-
gatum fuit in Senatu Parisiensi septima
Septembris die, hoc tamen tribunal
Clausulam diplomati insertam, vi cu-
jus distractio bonorum etiam invitis,
& contradicentibus possessoribus fieri
permittebatur, approbare renuebat. (*)
§. LXX.

(*) Hæc omnia Continuator ex Spondano
descripsit, omisit tamen ex eo, quod in hac
extrema necessitate recursus habitus fuerit
DE MORE ad sacros Ecclesiæ Gallicanæ pro-
ventus: item idem silentio præteriit, quod
aliæ quædam additæ fuerint conditiones in FA-
VOREM CLERI, quibus tamen conditio-
nibus sese opposuere Pseudo - Politici, qui-
bus de Ecclesiasticis nil nisi pecuniæ placent.